



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Sessio XLIV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

creto iam esse satisfactum, non intendentes propterea, quod concordata cum vna natione, in aliquo alteri nationi afferant præiudicium.

ANNO  
CHRISTI  
1418.

Super quibus omnibus & singulis præmissis, & eorum quolibet, magister Ioannes de Scribanis promotor & procurator sacre Synodi prædictæ, & fiscalis cameræ apostolicæ, petiit sibi tam domini nostri papæ quam Synodi prædictorum nominibus a protonotariis, notariis, atque scribis eiusdem Synodi fieri vnum vel plura, publicum seu publica instrumenta, ad perpetuam rei memoriam. Præsentibus ibidem reuerendissimis in Christo patribus & dominis, dominis Angelo Laudensi, Petro Hispano, episcopis, Antonio Bononiensi, Francisco Venetiarum, Antonio Aquileiensi, Branda Placentino, Antonio de Chalanco, Thoma Tricaricensi, Petro de Fluxo, presbyteris, Ludouico de Flisco, Raynaldo de Branckafis, & Lucido de Comitibus, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, nec non dominorum regum, principum & vniuersitatum ambasiatoribus, aliisque Christi fidelibus in multitudine copiosa.

#### SESSIO XLIV.

**A**NNO, indictione & pontificatu quibus supra, die tertio Martis decimanona mensis Aprilis, Constantiæ in ipsius ecclesia maiori, sanctissimo domino nostro papa Martino præsidente, more solito publica sessio solemniter celebrata fuit, serenissimo principe domino Sigismundo Romanorum, &c. rege, insigniis regalibus induto intereffente: pro cuius sessionis introductione reuerendissimus pater dominus Nicolaus Assisinatensis Missam de Spiritu sancto celebrauit. Et huiusmodi Missa finita, lectis que litanis, & aliis orationibus legi consuetis, debite peractis, reuerendissimus pater dominus Antonius sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis, de Chalanco vulgariter nuncupatus, quoddam decretum siue statutum alta voce legit in hæc verba.

*Decretum de loco futuri Concilii proxime celebrandi.  
Martinus episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam.*

Cupientes ac volentes decreto huius generalis Concilii

ANNO  
CHRISTII  
1418.

satisfacere, inter alia disponenti, quod omnimodo generalia Concilia celebrentur in loco quem summus pontifex per mensem ante finem huius Concilii, approbante & consentiente Concilio, deputare & designare teneatur pro loco dicti proxime futuri Concilii celebrandi supra dicti, eodem consentiente & approbante Concilio, ciuitatem Papiensem tenore presentium deputamus & etiam assignamus, statuentes & etiam decernentes, quod prelati, & etiam alii qui ad generalia Concilia debent conuocari, tempore predicto ciuitatem ipsam Papiensem accedere teneantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae deputationis & etiam assignationis statuti, decreti & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius, se nouerit incursum. Datum & actum Constantiae in loco sessionis publicae decimotertio Kalendas Maii, pontificatus nostri anno primo. Quo decreto lecto, dominus episcopus Ostiensis cardinalis Viuariensis, nomine totius Synodi respondit, Placet. Et subsequenter dominus Ardecinus de Nouaria, ex parte serenissimi principis Sigismundi Romanorum regis ibidem presentis, & eius nomine, idem decretum approbavit & laudauit. Et subsequenter dominus Augustinus de Lante de Pisis legum doctor, sacri consistorii aduocatus, nomine domini nostri papae dictum locum siue ciuitatem Papiensem approbavit, laudauit, & ad Concilium huiusmodi celebrandum habilem esse dixit.

Super quibus omnibus & singulis praemissis, domini Ardecinus & Augustinus praefati nominibus quibus supra, nec non magister Ioannes de Scribanis promotor & procurator sacri Concilii praedicti, & eius nomine a protonotariis, notariis atque scribis domini domini nostri papae, & ipsius sanctae Synodi, vnum vel plura fieri & confici petierunt, & quilibet eorum petiit publica instrumenta, ad perpetuam rei memoriam. Praesentibus ibidem reuerendissimis sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus Ioanne Ostiensi, Laudensi, Hispano, Bononiensi, Aquileiensi, Senensi, Veronensi, Tricaricensi, de Fuxo, de Comitibus, & Venetiaram, iuniore Ioanne Constantinopolitano, Io-

anne Antiocheno patriarcha, ac regum, principum, prælatorum, nobilium, communitatum, vniuersitatum, studiorum & collegiorum ambasiatoribus, ac aliis Christi fidelibus in multitudine copiosa.

ANNO  
CHRISTI  
1418.

SESSIO XLV. ET VLTIMA.

*De dissolutione Concilii.*

VENERIS die vigesima secunda mensis supradicti Aprilis fuit celebrata sessio generalis in maiori ecclesia Constantiensi, sanctissimo in Christo patre & domino, domino nostro Martino diuina prouidentia papa quinto in eadem præside, serenissimo principe domino Sigismundo Romanorum, &c. rege, insignis imperialibus induto interessente. Pro cuius sessionis introductione reuerendissimus pater dominus Antonius tituli sanctæ Sufannæ sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis Aquileiensis vulgariter nuncupatus, Missam de Spiritu sancto deuotissime celebravit. Qua finita, & litanis cum solitis orationibus finitis & peractis, reuerendissimus pater dominus Umbaldus miseratione diuina tituli sancti Viti in macello diaconus cardinalis, de mandato ipsius domini nostri totiusque sacri Concilii, prout asseruit, alta & intelligibili voce pronuntiauit hæc verba, videlicet.

*Absolutio Concilii.*

Domini, ite in pace. Et responsum fuit per adstantes: Amen. Quo facto, reuerendus pater Ioannes de \*Podymitis episcopus Catanensis, frater ordinis Prædicatorum, sacre theologiæ professor, de mandato domini nostri papæ, & consensu sacri Concilii (vt asseruit) ambonem ascendit. Antequam autem ad talia se diuerteret, seu procederet, ambasiatores serenissimi principis Vladislai Poloniae regis, & illustrissimi principis domini Alexandri, alias Vuitoldi magni ducis Lituaniæ, petierunt nomine dictorum dominorum quemdam libellum, & in eo contenta cuiusdam fratris Ioannis Falkemberg, notorie crudelissimos errores & hæreses (vt dixerunt) continentem, rite damnatum tamquam hæreticum per deputatos in causa fidei, ac etiam per omnes nationes Concilii, ac per collegium cardinalium conclusum (prout dixerunt) consistare publicis instrumentis, in sessione publica per sacrum Conci-